

uandi huius thesauri, & tuendi, sæpè obtulerūt. Longum esset singulorum curas, & vigilias cōmemorare: sed quos labores, quantaq; studia Deus postulet, cum sæpe verbo, tum exemplo, in populo Iudaico satis declarauit, quem acerbissime sæpè puniuit ob negligentiam sui cultus. Quid enim acerbius accidere potuisset, quam quod omnes ii, qui ex Aegypto exiuerāt, exceptis duobus, in via perierunt, nulla alia de causa, nisi quod minoris quam debuissent, sacro sancta sua oracula facerent? Cur enim tam multi sæpè ab hostibus cæsi, in seruitutem reducti, omnes miserè euersi, & in vniuersum tandem orbem, sine vlla spe recuperandæ patriæ, sunt dissipati? nisi quod ingratoribus animis, quam debuerint cęlestia bona acceperint? Sed hæc nos meritò non parum commouere, & excitare ab hoc profundissimo somno, à maxima, in qua versamur, ignauia deberent: quę iam tanta est, vt tempora ea iam adesse videantur, de quibus Christus dicit: *Edent, bibent, &c.* contemnentes interea instans Dei iudicium, quemadmodum tēporibus Loth fiebat. Quod si omnium mortalium vitam circumspicias, nihil minoris fieri, quam salutis studia; nihil pluris, quam huius vitæ inuenies. Omnino verò nihil de impendenti iam iudicio cogitari, qui tametsi dies, vt differatur, tandem tamen suo tempore veniet, & vt tum aqua incautos, & ignauos, & ridentes omnes Noah oppresit, sic & nos, cum minime cogitabimus, ardor flammaque irę diuinæ, cum cælum & terra exardescet, subitò oscitantes comprehendet. Quam obrem Pauli exhortatio Rō. ii. plurimū